

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput XX.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

Capit XX
Aspirationes ad Deum
ob eius infinitatem.

Ó Domine Deus dum tuam infinitatem seriá mente considero, totus á memetipso præ stupore deficio; quid enim magis stupendum, quam quod tua natura, qua innumeras perfectiones in se continet, in iis omnibus sit infinita, sic ut tua essentia sit infinite bona, infinite sapiens, infinite pulchra, infinite amabilis, infinite iucunda, infinite dulcis, infinite desiderabilis. Ó mirabilis in altissimis Domine vere mare es quoddam essentiae et perfectionis, in quo sunt omnia bona sine numero et mensura, et á quo licet in omnes Angelos et sanctos per totam aeternitatem derivent bona et bona, imò integri torrentes voluptatum, et deliciarum, nunquam tamen ab iis exhaustiri poteris, sed in immenso sinu tuo tantumdem bonorum semper recondetur, quantum ex illo percipere meruerint.

Ó Deus meus, quam admirabilis, quam amabilis es! beati plane, qui vident te, qui fruuntur te, qui amplexantur te; qui de thesauris tuis opes et opes, delicias et delicias haurire digni inventi sunt. Ó sors sanctorum nimium fortunata.

2. Infinitum est, quod nullum habet finem, limitem aut terminum; tale tu bonum es ó amabilissime Deus, tu es enim ipsum esse in nullo receptum sed per te subsistens. Esse autem, quod in nullo recipitur, nulla ex parte limitari potest; consequens proinde est, quod natura seu essentia tua sit infi-

nita, atq; adeo in te infinitos includas thesauros
 iis omnibus communicandos, qui ad te mente et
 spiritu propius accedere voluerint. Gaude iam
 anima mea; habes enim, unde inopiam tuam sub-
 levare, ac divitias immortales coacervare valeas;
 siquidem aliud opus non est, quam ut te immergas
 in illa profunda abyſſo omnium bonorum, atq;
 ex ea haurias quicquid desiderat cor tuum. *Oſtu-*
pendum puteum aquarum viventium, gratiarum
et donorum caelestium, ex quo semper datus unde
hauriatur, et nunquam eo devenitur, ut exhaustus
possit: ah me totum in te demitto, in te omnia de-
sideria cordis mei colloco, a te nunquam recedere
volo, quia tu solus es, qui me satiare potes.
 3. Tu solus igitur es o Domine Deus, quem su-
 per omnia exaltare, laudare, et diligere debemus,
 quia tu solus es in omni bono infinitus. Res
 nonnunquam aliae, etiamsi nobis optima videantur, sunt ta-
 men finita; unde sicut magnitudinis tuae non est
 numerus, sic parvitas earum non est finis; ita
 enim parvae sunt, ut verius dici deberent non esse,
 quam exiguum esse; siquidem de se nullum proorsus
 esse habent, unde gloriantur. Omnia itaq; o Deus
 meus circumdedisti limitibus suis, omnibus posuisti
 si vestes et ostia, Terminum posuisti eis, quem
non transgredientur, tu vero solus es sine fine,
 tu solus terminum nescis, tu es veluti oceanus in
 altitudine, in profunditate, in latitudine, in
 longitudine infinitus. In cuius centro solus mu-
 dus iste positus, tibiq; collatus vix magnitudine
 puncti excedere videtur. Heu dementiam meam,
 quod tam saepius rem adeo exiguam sectatus fuerim,
 te vero infinitum bonum non tota mente mea dilexerim.

cant. 7.

q nonnunquam

Ah tuam o celsissime Deus, infinitatem iam sup-
plex adoro, et absq; ulla mensura te diligere in-
finite desidero.

Caput XXI.
Aspirationes ad Deum ob
eius liberalitatem

Quemadmodum avari ab omnibus odio habentur,
ita e converso homines liberales ab omnibus di-
liguntur; qui enim liberalitatem exercet, etiam su-
per caput inimicorum suorum carbones ignis con-
gerit, suis nempe muneribus eos facile placat,
ipsoq; amicos suos facit et ad amorem suum al-
licit. O Deus cordis mei, quam igitur impense
te diligere debemus, cum non solum liberalis, sed
etiam ipsamet sis liberalitas. Hanc non solum
amici sed etiam inimici tui testari debent, dum facis
omni solem super bonos et malos, et pluis super
iustos et iniustos, adeo ut non sit, qui se abscondat
a calore liberalitatis tuae; aperis enim manum
tuaam, et implet omne animal benedictione:

O benignissime Deus quid tibi retribuemus
pro omnibus bonis tuis, quae e caelis sanctis tuis
in nos non solum ea non postulantes sed non
nunquam nihil curantes largiter effundis? Certe
nihil a nobis exigis nisi ut tibi eam vicem repen-
damus, quam viro liberali exhibere consuevimus,
ut sicut illum in magno pretio habemus, eumq;
amore prosequimur, ita et te super omnia exal-
temus ac impense diligamus. Exaltabo te igitur
Domine Deus, et amabo te, quantum dignus es
exaltatione et amore. Ah piissime Deus par-
ce mihi, quod hactenus in tuis laudibus et amoris
erga te affectibus tam paucus extiterim. Vinam

Roman. 3.

Math. 5.

psal. 118.

psal. 144.